



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes  
Canisius, Jacobus**

**München, 1636**

[Hvmilitas]

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

## H V M I L I T A S

Definitio.

Est animi inclinatio ad contemptum sui, orta ex cognitione sui, per quam homo DEO se subijcit, & hominibus propter DEVM, seu ob aliquam bonitatem à DEO illis communicatam.

## ACTVS.

1. Amare nesciri & pro nihilo reputari, spernere sperni, cupere sperni, querere sperni.

2. Subijcere se DEO, & hominibus cum magna promptitudine.

3. Nihil vnquam facere, aut dicere, vt propriam inde laudem referas.

4. Sufferre iniurias & verba dura.

5. Amare, & gaudere, quod defectus tui per alios alijs aperiantur.

6. In verbis ostendere humilitatem & non excusare se.

7. Omnes meliores & superiores te ducere.

Mo.

## MOTIVA.

1. Christus talis fuit, & dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*
2. Beata Virgo talis fuit, & dixit: *Ecce ancilla Domini &c. Et: Respexit humilitatem ancillæ suæ.*
3. Humilis omnia impetrat, & habet *claves thesauri DEI: Oratio humiliantis se &c.*
4. Quantum se quis humiliat in terra, tantum gloriæ habebit in cælo.
5. Maximi honores, & laudes, sunt vanitas.

## MEDIA.

1. Cognitio propriæ vilitatis & infirmitatis, & defectibilitatis in corpore & in anima.
2. Humiliatio frequens.

*Exempla.*

1. B. Franciscus Borgia abdicato Ducatu se subscribebat: Franciscus peccator, & cum socius eius quadam nocte ei in faciem expueret, non aduertens ipse.

ipſe, nullum locum vilioſiorem ſua facie reputabat.

2. Primarius quidam Alexandrinæ ciuitatis filiam obſeſſam habebat; Patres eremi ob humilitatem eam liberare nolunt; puella obſeſſa cuidam ſancto ſeni ſportam ementi, alapam infligit, ille aliam maxillam præbet, diabolus abſcedit, & liberatur.

5. Cuidam Iuueni ſancto diabolus apparet dicens: Ego ſum Gabriel miſſus ad Ioannem & ad Virginem. Reſpondet: Vide ne ad alium miſſus ſis; nam ego dignus non ſum vt Gabriel ad me veniat. Diabolus confuſus fugit.

§. III.

*B. V. & Berchmanni modestia.*

Fuit B. Virgo perfectiſſimum quodmodum modestiæ exemplum. De ea namque S. Ambroſius ſcribit his verbis: *Nihil in oculis (B. MARIAE) nihil in verbis procax, nihil in uerecundum. Nihil in gressu fractior, non in ceſſu ſolutior, nihil in uoce petulantior, Et ipſa corporis ſpecies imula*

*mulacrum fuerit mentis, figura probita-  
tis. Et S. Damascenus: Honestus ei erat  
Vestitus, gressus gravis ac sedatus atque  
ab omni mollitie remotus &c.*

*S. Damascen. Orat. 1. de Natiuit.*

Cæterum quantus Marianæ mode-  
stiæ imitator fuerit Berchmannus, disce-  
re est vel ex eo quòd hanc virtutem  
non calamo tantum, sed viuissimo et-  
iam expresserit exemplo. Post eius mor-  
tem reperta fuit scheda sic de modestia  
ab eo scripta: Modestia virtus est, quæ  
motus omnes animi corporisque cum  
honestate ac decencia moderatur. Eius  
virtutis actiones continentur Regulis à  
B. P. Ignatio de modestiâ scriptis, Inci-  
tamenta quæ ad eius obseruationem  
inuitant, ista sunt: Primum, imitari  
modestiam, verecundiâque B. Virgi-  
nis, quæ ad eò his virtutibus excellebat,  
vt eâ conspectâ dixerit Dionýsius Areo-  
pagita, nisi aliter per fidem esset edoctus  
pro Deâ illam fuisse veneraturum.

Secundum; S. Ignatius multis lacry-  
mis, quæ de modestia reliquit præcepta  
septies irrigauit.

Tertium; Immodestus iniuriam fa-  
cit Passioni Christi, qui nostram scilicet  
immodestiam membrorum suorum o-  
mnium cruciatibus expiauit.

Quartum; Immodestus, Matris no-  
stræ societatis pudorem onerat, laci-  
tiam corrumpit, formamque commac-  
ulat.

Quintum; DEI vndequaque præ-  
sentia, modestos continere nos debet.

Sextum; modestiã, singularem quan-  
dam gloriam singulis membris nostris  
conciliamus.

Septimum; S. Franciscus Xauerius  
quòd adolescens inter æquales, grega-  
lesque suos saltu libenter se, impigro  
exercens aliquando corporis agilitate  
nimium sibi placuisset, brachia coxasque  
acutissimis funiculis constrinxit, vt ei ni-  
mirum condolerent, cum pedes etiam  
conficeret iter.

Octauum; S. Tecla sententiam capitis expectans, nunquam oculos attollere voluit præ modestiâ, verita circumstantes intueri.

Nonum; Religiosus quidam coactus vado flumen transmittere dum pedes nudare præ verecundia trepidat, prodigiosè in alteram se ripam transportatum sensit.

Denique Beatissima Virgo per visum puellæ Musæ apparens cum insigni beatarum Virginum cœtu, quem Musa imitari cupiebat, eam iubet abstinere risu, iocis, aliisque cœpundijs puerilibus, polliceturque, post triginta dies cum eodem Virginum agmine redituram, vt comitari cupientem vnâ secum deducat. Puella grauitatem induit, mores componit, morbum post quintum & vigesimum diem contrahit. Trigesimo Beatissima MARIA Virgo iisdem puellis stipata reuertitur. Musa eius recreata aspectu; venio Domina, exclamat, ecce Domina venio, simulq; animam expirauit.

O S

Hisce

Hisce præsidijis atque artibus Berchmannus ad summam modestiæ excellentiam oculorumque imperium nitebatur; nec minore studio reliquorum membrorum dominatum gestuum, vestitusque decentiam, omni loco ac temporum occasione procurabat, nihil ut mirum sit, adeo eius modestiam, Mariannæ modestiæ lineamenta viue referentem, cunctis admirationi fuisse, tantisque à virtute illa laudibus etiam dum puerum fuisse commendatum. Sic Ceparius de puerili Berchmanni modestia, quam porrò semper (ut idem Ceparius loquitur) præstitit adeo perfectè ut aliqui dicerent scriptas à S. Ignatio modestiæ Regulas, si interijissent, vel in Berchmanno denò potuisse reperiri. Adeo modestiæ ipsius imaginem præ se ferebat. Aiebant alij, etiamsi cælestis aliquis genius humana carne vestitus, hominis membra induisset, non fuisse maiore modestiâ vsurum. Tanto ad eam studio Berchmannus incubuerat, ut & summo

in gradu obtineret. Quod verò certius perfectissimæ laudis huius argumentū, quàm quod commilitones ei nomen imposuere Patris Modesti, ac Modestissimi, tantæque eum voluptate spectare sint soliti per atrium transeuntem, redeuntēque è schola ut eo spectaculo sapius retinerentur? denique cum positas de Philosophia quæstiones extremo studiorum cursu propugnaret, quidam ex ipso Theologicæ scholæ limine (in qua disputandum erat) in cathedra stantem conspicati, iucundè inter se capita conferentes: Heus, aiebant, Theses tuebitur Modestissimus Pater noster; quin horâ vnâ alterâque capimus voluptatem eius intuendi?

*Mariana Berchmanni modestiæ*

*fructus.*

Nec immunis fuit hæc Marianæ modestiæ imitatio. Nam (quemadmodum Ceparius loquitur) intentissimam hanc curam qua se Berchmannus oculosque suos in officio tenuit, quâ verecundiam

*Cepar. pag. 83.*

O 6

sem

semper præstitit, tam insigni castitatis  
 prærogatiuâ DEVS cumulauit, vt vitam  
 omnem, obscœnis animi corporisque  
 moribus egerit expertem. Quod orna-  
 mentum tanto profectò est æstimabi-  
 lius, quanto inter homines rarius, nec  
 vulgò, nisi illis (neque tamen omnibus)  
 concedi solitum, qui mortalibus perpe-  
 tuò culpis per singulare DEI præsidium,  
 immunes vitam omnem innocentissi-  
 mè traduxere. Ac de mentis vacuitate  
 ita enunciauit domestico cuidam pa-  
 tris alioqui rerum suarum laudator:  
 Ego inquebat Dei Virginisque benefi-  
 cio, non memini me vnquam cogitatio-  
 ne vllâ impudicâ oppugnatum; contra  
 verò quàm maximè abhorreo à re qua  
 libet contraria castitati. Quàm autem  
 auerso fuerit animo ab omni obscœni-  
 tate, vel eò intelligi potest, quòd cum  
 ad legendas suasu Ceparij, Confessiones  
 S. Augustini ob præclarissima quædam  
 opusculi illius lumina, inflammato quo  
 affectus abductus esset, mox ille offensus

lectione noxiarum ( in quas Augustinus præceptis ruerat impetu adolescentiæ ) ad eundem c. vestigio venit, & : Pater, inquit, non sapit mihi lectio Confessionū S. Augustini; quo intellecto, vt in posterum lectione abstineret, Ceparius imperauit.

Neque verò sola illi mens erat inhonestis cogitationibus vacua, sed & corpus omnis lasciuia expers, quod Ceparius illius ipsius affirmatione didicit, qui extremo Decembri, Anno MDCCXX. redditurus eidem vtpote superiori, progressus sui rationem, vt legibus moribusque in Societate IESV receptum est, id aperte indicauit, quod singulari Beatissimæ Matris beneficio adscribebat, quæ sui non modò vigilantis, verum etiam dormientis tutelam suscepisset, ex quo prius semper quàm dormitum iuerat, Angelicam illi salutationem persoluisset in honorem immaculatæ Conceptionis.

Eximio huic Angelicæ puritatis orna-

mento, quod Berchmannus Marianæ modestiæ imitatione promeruit, etiam alia accessit prærogatiua. Nam quotquot obrutum in hoc modestissimo iuvene figebant, non solum non subibant pudicitiae discrimen, sed periculi eius securi, cum delectatione sanati, insuper castas quasdam illecebras, amorémq; sanctum puritatis in se experiebantur. Complures etiam iurati testimonium dixere se quoties obuiam fieret, velut sancti cuiusdam interuentu compulso ad animum gestusque componendos.

§. I V

*B. V. & Berchmanni domestica sanctæque solitudo.*

S. Ambrosius de B. MARIAE Deipharæ Virginis imitatione differens: Quanta, inquit, in vna virgine species virtutum emicant: Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, vitæ intra domum &c.

Quibus verbis S. Ambrosius indicauit B. Virginem domesticæ sanctæq; solitudinis

dinis amantem fuisse. Quapropter ut in hac etiam tam sancta domesticæ solitudinis ascesi Berchmannus haud degener sanctissimæ Matri filius quadantenus esse similis posset, etiam dum puer colludentium Collegarū circulis dexterè subduxit sese, abdiditque in Musæum ad legendum, aut orandum; planè ut sæpius moderatores duxerint eum cubiculo extrahendum ad lulum; ne studio, orationibusque crebrioribus mentem fatigaret. Neque tamen Sodales, quibus iucundissimus erat, offendebantur, si secum non luderet, quod & virtutem eius nossent, & ob sanctitatis studium abstinere eum lusu existimarent. *Cep pag. 4.*

*Mariana, domestica, sancta q̄ Berchmanni solitudo.*

Atque huius sanctæ solitudinis non tantummodò puer, sed æuo quoq; iam maturior, summus semper extitit amator. Nam fidus cubiculi sui custos, non sine necessitate prodibat, dicere solitus: Societatis operarium cum in cubiculo

*Cepar. pag. 136.*

deli-

delitescit, debere in lucem protrahi desiderio procurandæ alienæ salutis; cum verò iam prodijt ad opem animis proximorum impendendam debere rursus reuocari desiderio cubiculi, ne scilicet diuturniore solitudine torpeat, aut effusâ nimium consuetudine elanguescat. Reperiunturque crebrò in schedulis eius scriptis hæc repetita verba: Amabo cellam.

Quoties eiusdem sui cubiculi contubernalis in cubiculum reuertebatur perpetuò erectus in pedes aperto eum capite salutabat. Nunquam ipse in cubiculum redibat, nisi expresso Crucis signo, lustralique aspersus aquâ & breui degenibus oratione dictâ. Quàm diu intrò in cubiculo versabatur, mensæ adstantis, aut adsidens tantâ degebat quiete, vt nunquam vel momento grauis fuerit contubernali. Adeo sancta fuit eius solitudo.

## §. V.

*B. V. & Berchmanni obedientia.*

S. Mechtildis, quæ diuinâ reuelatione cognouit, quibus virtutibus B. Virgo præstiterit, scripsit eam inde ab infantia patri matrique vsque adeo in omnibus obsequentem, & morigeram fuisse, vt nulla vnquam re eos offenderit aut contristarit. Quin & S. Ambrosius de B. Virginis obedientia differens commendat eius deuotionis obsequium, aitque eam nec vultu parentes læsisse, nec à propinquis dissensisse, sed omnibus (quæ fas erat) assensisse morémque gessisse. In qua virtute, quò sanctissimam Matrem suam Berchmannus haud degener filius, quàm proximè imitaretur etiam dum puer ad Curionis Diesthemienensis (cuius conuictu Berchmannus triennium vsus est) obsequium adeò se finxit, vt eum parentis loco veneraretur, eiusque lateri perpetuò affixus, vix ad parentis domū, etsi haud longè distantem, nisi perrarò digrederetur. *Mech. de arcan, lib. 7. c. 5.*

*Cepar. pag. 4.*

Porro

Porro tam promptè alacritèrque moderatoris sui verbis obtemperabat, ve (quod quidam grauis omnino sacerdos dixit) videretur Angelus esse Tobia, ad quæuis accipienda imperia expeditus.

*Cepar. pag. 13.*

Aliquando ab hero suo Canonico Louanium Mechliniã (quod iter duodecim milliarium est Italicorum) mittebatur à viatico satis instructus. Ille pedibus iter emensus, negotio administrato, Mechliniam eodem die reuersus est, confecto celerrimè viginti quatuor milliarium spacio, nullo aut Louanij, aut per viam cibo, potuue gustato, aut tempore villo viatici nomine expenso. Erat eius hero domi canis, nationis Anglicanæ; quem cum in auestrem venationem, educa et, ostenso panis frusto docebat transnare flumen, tantillâq; mercede fatigare sese, obseruare nutum, a iussis herilibus obedire. Hinc discere solebat Berchmannus, quàm alacriter obediendum Deo sit, æterna nobis premia

*Cepar pag. 15. § 18.*

miã pollicenti. Ideoque semper internis  
DEI vocibus morem obsequentissime  
gessit, neque vnquam diuinis imperijs  
repugnauit, sed sanctis inspirationibus  
aurem promptissime accommodauit.

Porro sic dicto audiens, sic studijs erat  
additus, vt vix aut à superiore, aut à Ma-  
gistro fuerit vel leniter inflectendus, ne-  
dum reprehendendus, quæ omnia iura-  
tus affirmauit superior eius P. Petrus  
Emmericus. *Cepar. part. 10.*

Et verò obedientiæ virtutem amabat  
vnicè, eoque nomine S. Ignatium Loio-  
lam Fundatorem Societatis IESV magis  
etiam diligebat, quòd tam præstantem  
de eâ epistolam scripsisset censebatque  
in rebus minimis studio maximo obe-  
diri debere, quòd intelligerent superiores,  
quanto in pretio mandata sua habe-  
rentur; quoniam vbi res minimæ accu-  
ratè absolutèque seruentur, ibi res ma-  
gnas haud dubiè maiori quoque curâ  
administrari.

Atque hanc in rebus etiam minimis  
obe-

obedientiam præstitit Berchmannus non solum superioribus sacerdotio insignitis, sed quibusvis etiam Adiutoribus laicis, hoc inter cætera decreto sibi præfixo: Humiliter, & cum magna alacritate in omnibus, quæ frater meus sacrosancta præcipiet, obediam vt Christo.

*Cepar. pag. 266.*

Loquebatur aliquando facta sibi potestate, cum externo intra Collegij limen, quando alius ad eum quoque alloquendum superuenit. Huic aperte Berchmannus necessarium esse respondit, prius à Rectore facultatem colloquendi petere, eaque impetratâ, se fecit, ad colloquium esse reuersurum.

Si quando tirocinij tempore ægre habere sensisset, tamen obediendi studio ad consuetam surgendi horam, minè sese lectulo corripiebat, mox, copiâ superiore factâ, si opus foret, in lectulum reuersurus.

## S. VI.

*Religiosa B. V. & Berchmanni  
Paupertas.*

Fuit etiam B. M A R I A Deipara voluntariae speculum omnino pulcherrimum paupertatis. Nam primo desponsanda (sic enim mysterium Incarnationis decebat) noluit eligere sponsum (quamvis nobilitatis ergo, quam sic deperit ac suspicit Mundi vanitas, posset) hominem locupletem & copiosum, nobilisue opificij gnarum, sed vnicum S. Spiritus instinctum secuta, sponsum sibi deuinxit, vitæ quidem sanctimoniam inclitum, & claritate generis eximium (erat enim Regia stirpe Davidis oriundus) sed tamen conditione pauperem, officio fabrum lignarium, qui quotidianum manuarum arte victum comparabat, sic, vt opus, ipsam quoque sanctissimam Virginem, operam in linificio & lanificio coniungere, vt supra dictum.

Idem voluntariae, religiosaeque paupertatis studium in gloriosissimi partus  
 P sui

sui, si singula expendantur, mysterio de-  
 clarauit. Egressa est Virgo de Nazareth,  
 Iosepho comitata; sed ô quantam rerum  
 omnium inopiam illo in itinere pepe-  
 si sunt! Quæ loca, quæ hospitia illis  
 patuere? quàm multa illis necessaria de-  
 fuere? vt in Berthehem peruenere, nul-  
 quam hospitium reperere. *Non erat ei*  
*(inquit Euangelista) locus in diuersorio.*  
 Erat ibi diuersorium adulteris & homici-  
 cidis, Virgini autem speculo sanctitatis  
 & arcæ DEI sacratissimæ non erat, cuius  
 causa erat, quod essent pauperes, & que-  
 les erant, tales apparebant. De hac pau-  
 pertate Virginis in diuino partu sur-  
 Cyprianus in hæc verba differit: Nulla  
 inquit, domus ambitio, nisi reclinato  
 rium in stabulo, mater in scæno, filius in  
 præsepio. Tale elegit fabricator Man-  
 di hospitium, huiusmodi habuit de-  
 cias sacra Virginis puerperium. Panni  
 culi pro purpura, pro bysso, & ornatu  
 regio, lacinia congeruntur, genitrix e-

*S. Cyprian. Serm. de Natiuit.*

obstetrix, & deuorani dilectæ soboli  
 exhibet clientelam. Pedissequas sub-  
 stantia familiaris non patitur, manci-  
 piorum obsequia, sumptus tenuis, &  
 inops mensa excludit. Sanctus etiam  
 Bernardus hanc paupertatem conside-  
 rans. Nasciturus, inquit, Dei filius cu-  
 ius in arbitrio erat, quodcunque vellet  
 eligere temp<sup>9</sup>, elegit quod molestius est,  
 præsertim paruulo, & pauperis matris  
 filio, quæ vix pannos haberet ad in-  
 uoluendum, præsepe ad reclinandum.  
 Atque hæc tanta tamque arcta Virginis  
 pauperies non fuit coacta, nec aliqua ne-  
 cessitate, quemadmodum fit alijs pau-  
 perculis mulierculis, suscepta (aliàs enim  
 virtutis nomen haud mereri potuisset)  
 sed voluntaria, sponte suscepta, amata,  
 exoptatâq; *S. Bernard. Serm. 3. de Nat. suæ*

Idem religiosæ paupertatis luculen-  
 tum planè dedit argumentum in Purifi-  
 catione suâ, quadragesimo post glorio-  
 sum partum suum die in templo facta.  
 Nam lege Mosaica cautum erat, vt mu-

P A

liet;

lier, quæ peperisset masculum, quadragesimo die se sisteret in templo, ibique agnum pro filio in holocaustum; columbam verò, vel turturam offerret pro peccato; si ob inopiam, offerre agnum nequiret, cum altera vel columbâ, vel turture agnum commutaret. Porro ex Evangelicâ constat historia, Virginem non agnum cum columba vel turture, sed geminas columbas, seu binos turtures obtulisse, non studio avaritiæ, sed amore paupertatis. Nam si satis ei fuisset ad agnum coemendum peculij, dubio procul omni, sicut in omnibus perfectissimè legi parere conabatur, sic in hoc quoque re paruisset; sed ut pauperum quæ diligebat exercebâtque pauperum sacrificium obtulit pauperum. Nam quamvis ingentia Magis à Regibus munera suscepit, nihil tamen in suos, aut nati recens filij usus reservavit, sed omnia in egenos erogavit. Ita S. Bonaventura cuius verba sunt: Quid de auro illud factum putas quod erat sic magni valentis

*S. Bonav. de Vita Christi c. 9.*

ris? Nunquid Domina reseruauit sibi  
vel depositum fecit? vel nunquid emit  
domos, agros, & vineam? Absit; non  
curat de talibus paupertatis amatrix.  
Zelans ergo fortiter pro paupertate, &  
intelligens filij voluntatem tam intus  
docentis, quàm foris signa ostendentis,  
quia vultum fortè auertebat ab auro, &  
vilipenderat, totum infra paucos dies  
pauperibus erogauit. Vnde quando in-  
trauit templum non habuit, vnde agnū  
emeret, quem offerret pro filio, sed emit  
turtures, vel columbas. Imò post anasta-  
sin ascensumque diuini filij in cælum,  
B. Virginem eleemosynis Christianorū  
venerabilis Beda vicitasse putat : Di-  
stribuebatur, inquit, vnicuique, prout  
cuique opus erat, vt illic etiam B. Mariæ  
tanquam matris eius portio poneretur.  
Sic Beda.

*Religiosa Berchmanni pauperies.*

Porro quantus Marianæ Paupertatis  
huius imitator fuerit Berchmannus in-  
de colligi potest, quòd enitebat in eius

*Cepar. pag. 138.*

P 3

cu-

cubiculo quidam paupertinæ inopia  
splendor, nec librum nec rem vllam non  
necessariã apud se habebat; quin palim-  
psesti cuiusdam gypsatas tabellas, tan-  
quam superfluas domus Ministro resti-  
tuebat.

E Belgio Romam profectus, cingu-  
lum visum sibi aliquanto quàm aliorum  
præstantius, vestium curatori seruandū  
dedit, sumpto alio vilio: Imaginibus  
quòque, quas bono numero (ve disce-  
denti datæ erant) attulerat, se abdicauit,  
ijs solum retentis, quibus illi sua nomi-  
na inscripserant, qui preces eius flagita-  
bant; atque his quoq; haud grauatè cum  
rogaretur, se nudauit; quin omnes dein-  
de vel è Belgio, vel à Ciuibus suis dono  
acceptas, Rectori offerebat, eiusq; ad o-  
stium, si abesset relinquebat; quem eius  
morem vel hoc signo habebat explora-  
tū. Quod autem aliquando vnam è char-  
ta icunculam fratri alicui prius dedisset,  
quàm à superiore (qui non reperiēba-  
tur) facultatem impetrasset, etiam si quis  
dem

dem & petendæ postea facultatis proposito, & opinione facillimi consensus eam donauisset, reliquo tamen vniuerso vitæ tempore factum deplorauit; identidem se culpæ illius apud Rectorem accusans; quam ne obliuio deleret, memoriæ ita commendauit: semel vnâ imaginem dedi alteri non prius petita facultate. Etiam si, vt dictum, petendæ facultatis haberet voluntatem, & crederet donationem à Superiore approbatum iri. Die quodam rara cum animi lætitia dixit, se Dei gratiâ, nihil iam habere, ne imaginem chartaceam quidem; & si quid reliquum habuisset, protinus allaturum fuisse ad Rectorem. Quanquam non modò non habebat, sed nec habere quidquam cupiebat; sic omni vacabat creatarum rerum cupiditate. Sæpiculè ab eo scriptum reperitur, nulli rei animum habuisse affixum, sed omnibus expeditum. Amore quodam singulari religiosæ Paupertatis quam primum

manè luce hiberni solis ad studendum poterat uti, lucernulæ suæ lumen extinguerebat.

Re qualibet, quæ utenda ei dabatur, facillimè erat contentus, nec unquam doloris vllò signo minus sibi satis facti esse ostendebat; quin petendis necessarijs verecundum se domesticis opificibus præstabat. A Patre quodam ad Cardinalem Bellarminum adductus, cum rogaretur deinde domi, nihilne ei Cardinalis dedisset, nihil dedisse respondit, neque etiamsi obtulisset fuisse accepturum; quo responso ad Cardinalem relato laudatus ab eo fuit, narrante, eandem fuisse B. Aloysij conditionem, qui pauperimus esse gestiebat.

Toto contubernij separati tempore non alia crucis imago in eius oratoriolo fuit, quàm è rudi vilique ligno, acramento picta, altitudine palmæ, antequam orabat prostratus.

Ad ægri, morientisq; lectulum, parietati affixa erat chartacea imago Virginis

Infantulum IESVLVM brachio comple-  
xæ, nec absimilis altera haud procul  
muscoli mensâ.

Rosario utebatur ebenino, sed obso-  
leto, nec integro; præstantioribus quæ  
subinde offerebantur, repudiatis, ne-  
gans altero se egere, quam diu vile il-  
lud suum haberet.

Optabat res vetustas sibi vtendas da-  
ri tanquam pauperi, & pro suo in pau-  
pertatem affectu, ipsas chartæ, in qua  
scribebat oras implebat, literis in angu-  
stum, parsimonix studio, compressis.

Magna seruabat curâ res vsibus suis  
datas, dicebatque nos similes esse debe-  
re statuis, quibus susque deque est, an  
nouo an vetere induantur vestimento,  
an nudæ sint, an ornatae.

Idem religiosæ paupertatis studium  
Berchmannus in miscellis moralibus  
suis decretis ac placitis, quæ sua manu  
descripta moriens reliquit, eximie de-  
clarauit in hæc verba: Contentus ero  
vobis communibus.

Nunquam petam facultatem generalem dandi vel accipiendi.

Nihil tenere in cubiculo superfluum.

Magnam habere curam vestium meorum, & earum rerum, quæ vsui meo destinantur.

## §. VII.

*B. V. & Berchmanni Castitas.*

Fuit B. MARIA Deipara nitidissimum integerrimæ castitatis speculum, imo princeps intaminatæ Virginitatis antesignana. Sit vobis, inquit S. Ambrosius Virgines alloquens, tanquam in imagine descripta Virginitas, vitæque B. MARIÆ de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adhiberet affectum. Et S. Anselmus de Excellentia Virginis differens: Virgo, inquit, tenera, & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum

*Lib. 2. de Virginib.*

*S. Anselm. de Excell. B. M. V. c. 4.*

studium suum ad hoc intendit, ut corpus, & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret, Sciebat enim quòd quanto sanctius eam seruaret, tanto sublimius ei qui omnium castissimus, imò qui ipsa castitas est appropinquaret. Quibus è verbis Anselmi colligere est B. MARIAM, Dei Matrem, non tantum fuisse Virginem, sed suam quoque virginitatem per æterni iuramentum voti consecrasset. Quod ipsum S. Bernard. Virgini colloquens per apostrophem in hæc verba confirmat: ô Virgo prudens! ô Virgo deuota quis te docuit, Deo placere Virginitatem? Quæ lex quæ iustitia, quæ pagina veteris testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? vbi legeras Beata Virgo: Sapientia Carnis mors est? Et: Curam carnis ne feceritis in desiderijs? vbi legeras: De Virginitatibus præceptum Domini non habeo

*S. Bern. Hom. 3. de B. V.*

con;

*Rom. 8. Rom. 13.*

consilium autem do? Tu verò non  
 cam præceptum, sed nec consilium, nec  
 exemplum, nisi quod vnctio docebat te  
 de omnibus, & sermo DEI viuus & ef-  
 ficax ante tibi factus est magister, quia  
 filius; prius instruxerit mentem, quàm  
 induerit carnem. Christo ergo deuotè  
 te exhibere Virginem, & nescis, quòd  
 ipsi exhiberi te oportet etiam matrem.  
 Eligis in Israhel esse contemptibilis, & ut  
 illi placeas, cui te probasti, maledictum  
 incurrere, sterilitatis. Fuit igitur ex sen-  
 tentia S. Bernardi B. MARIA Deiparente  
 non tantùm Virgo, sed etiam Deo deuota  
 ta, imò Virginum DEO deuotissima  
 prima.

Quantus autem fuerit Berchmanni  
 Marianæ Virginitatis imitator, vel in  
 constat, quòd (vt in singulari Hyperd-  
 liæ huius specie fusius etiam explic-  
 mus) legatur non modò in schedis et  
 manuscriptis, sed & in chartis typo pro-  
 sis, à pueritiâ vouisse eum virginitatem  
 suam DEO ad honorem Virginis Mariæ  
 Reli

Reliquum accuratissimum tuendæ conseruandæque Virginitatis eius studium loco supra memorato pluribus executi sumus. Nunc ad alias virtutes procedamus.

## §. VI.

*B. V. & Berchmanni patientiæ.*

Fuit B. MARIA Christi genitrix quibus suis in afflictionibus, doloribus, cruciatibus ærumnisque suis patientissima. Nam non vanè ab Ecclesiâ Catholicâ, Regina martyrum audit. Vnde Sophronius: Beata, inquit, DEI Genitrix quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo (vt ita fatear) quia spiritua-liter & caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Vnde constat quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit in tantum, vt animam eius totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimonium eximie dilectionis. Ita Sophronius, qui rectè B. Virginem quouis martyre plus passam

*B. V. martyr & martyrum Regina.*

passam significat. Nam martyres in se tantum passi sunt, quia se infra Christum dilexerunt; & patientissima virgo fuit in ipsomet Christo passa, nempe propter id, ob quod passus & Christus, quem multo flagrantius, quam seipsam diligebat. Vnde S. Anselmus B. MARIÆ colloquens: Verè, inquit, pertransiuit animam tuam gladius doloris, qui tibi & maior fuit omnibus doloribus cuiusvis passionis corporeæ. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leue fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ passionis. Et S. Ildesonus: Quando Dominum, inquit, in cruce pendentem vidit, tunc plus quam martyr fuit, quia in animo non minor amoris, quam doloris gladio intus vulnerata est, paratâque stetit ad poenitentiam quamlibet excipiendam, si percussor manus accessisset, quæ nimio amore deum vulnerata, testis extitit Saluatoris & pio mœrore in animo cruciatum sustinuit passionis.

Cæterum hos & id genus dolores, cruciatus, ærumnâsque, quas Sophronius, Ildefonsus, aliique Patres memorant, non tantum patienter, sed etiam (qui perfectus consummatûsque patientiæ gradus est) hilariter B. Virgo tulit, teste S. Ignatio martyre in epistola ad Ioannem: Virgo, inquit, sacratissima Maria in persecutionibus & afflictionibus, quas in hac vita habebat, gaudebat. Ita sese habuit Virginis patientia; ac hanc quam bene, dextrè, viuèque imitatus est Berchmannus?

*S. Ignat. Epist. 1.*

Is etiamdum puer à pueris iniurias referre non expauit. Neque puer tantummodo iniurias illatas, sed æuo quoque maturior tulit. Tulit autem? imò suas quasi cupedias omnino singulares, nullum non genus corporeæ, & spiritalis afflictationis exambiuit ore semper composito ad hilaritatem, alacritatemque, adeo ut eum aliqui S. Hilarium, alij S. Lætum facerè appellarent. Nec

*Cepar p. 13.*

in.

interuallo placidus erat, & rursus ex  
 placido turbidus, sed perpetuo tenore  
 blandus, etsi illi natura non ignavi san-  
 guinis, spiritusque generositate ferue-  
 ret. Sui ipsius subiugatione, contume-  
 liis que gaudebat, laceras pannosaque  
 vestes amabat, publicè reprehendi, vili-  
 bus applicari operibus exoptabat; ge-  
 stiebat quoque asellum suum (ita cor-  
 pusculum vocabatur) abs se aliisque fati-  
 gari. Talis tamque hilaris fuit patientia  
 Berchmanni viuentis & valentis; sed  
 qualis fuit morientis? Nullus ab eius  
 febribus æstuantis ore fuit auditus  
 gemitus, aut questus; non inculcauit  
 quam strati duritiem, capitis vertige-  
 nem, totius corporis lassitudinem,  
 machi nauseam, palati siccitatem, g-  
 turis ardorem, flammam hepatis, fuga-  
 recessumque animi: Quinimo simul  
 denunciatum fuit, vt sese Eucharisti-  
 viatico ad iter æternitatis comparare  
 nunciij huius collo se circumplecti  
 strinxitque complexu, significans qua-

to animi gaudio perfunderetur. Contra commotus Administer in tantam se demisit tristitiam, ut erumpentibus identidem singultibus vocem in verba formare non posset. Berchmannus verò illi animum erigebat solando, hortandòque non patienter modò sed alacriter ferret, & : Quin inquit, læti nos nos lætho cõparamus? certè iucundiozem nuncium, maioremque lætitiã nunquam mihi poteras attulisse. Porro morbus corpori quidem, sed non animo Berchmanni quietem adimebat; quippe mens eius altam cum Deo colens pacem, arden-tes identidem præces in cælum iaculabatur. Rogatus an legi sibi aliquid iuberet: Caput, inquit, ex Aloyfij Gonzagæ historia. Cùm in lectionis cursu huc ventum esset, vbi narratur, nullum ab Aloyfio per longinquitatem morbi impatientis animi signum datum esse; ille ad Christum cruci affixum versus: Domine, inquit si (quod memini) impatientiã fortè peccaui, ignosce. Audito

Q.      dein-

deinde quod accepto mortis nuncio, hymnum, Te DEVM laudamus, recitasset, conatus imitari, rogavit adstantes, seque vt iuuarent, adiutusque recitauit.

Hactenus explicata paucis Berchmani patientia, nunc subiicienda eiusdem de virtute patientiæ sententia, sed non nisi verbis ipsius.

### P A T I E N T I A.

#### DEFINITIO.

Est virtus, quâ mala huius sæculi quo animo sustinemus, ita vt propter illa non immoderatè turbemur, aut tristimur, ne aliquid minus honestum aut decorum admittamus. *Cepar pag. 267*

#### A C T V S.

1. Nullum exterius impatientiæ signum dare.
2. Excludere à corde omnem perturbationem, displicentiã, tristitiã, multo magis desiderium vindictæ iam minimum. *(Domini)*

3. Omnia aduersa accipere de manu Domini.
4. Perferre omnia patienter, promptè.

*Excerpta*